

2348.

1322 d. 9 Sept.

Bo NILSSON testamenterar sina gods i Fulsboda i Svinhult socken och $\frac{1}{4}$ åtting i Stäflösa till förbättrande af den prebenda, som Biskop Carl stiftat i Linköpings domkyrka; gifver penningar till samma kyrkas byggnad, till Askaby och öfriga kloster i Linköpings stift m. m. och anslår 100 mark penningar till fördelning mellan sina tjenare.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

In nomine domini amen,, Anno incarnationis eiusdem, Millesimo. trecen-tesimo. vicesimo secundo, jn crastino natiuitatis beate virginis Ego BOO NICLÆSSON, sanus mente licet debilis corpore, considerans, quod nichil cercius morte, nichilque incercius hora mortis, Volensque vltimum vite mee tempus, operibus misericordie preuenire, De bonis michi a deo collatis, condo testamentum meum in hunc modum,, Primo videlicet, ad augmentationem prebende, quam venerabilis pater, dominus karolus episcopus lyncopensis de nouo fundauerat in ecclesia sua lyncopensi, confero bona mea in fulzbodhom in parochia swinæhult, cum omnibus suis adiacenciis et cum hoc, quartam partem attungi in villa stæfløso,, Jtem ad fabricam eiusdem ecclesie lyncopensis, in qua sepulturam eligo confero viginti marchas denariorum,, Jtem claustro in askæby decem marchas, eciam vltorius cuilibet claustro in dyocesi lyncopensi, duas marchas, et cuilibet hospitali eiusdem dyocesis vnam marcham, Cuilibet ecclesie, in cuius parochia curiam habeo vnam marcham, et tantum sacerdoti ibidem,, Preterea deputo centum marchas denariorum, inter seruientes et familiares meos distribuendas,, Ad solutionem igitur tam debitorum meorum, quam legatorum premissorum, deputo curiam meam, werkærum, cum omnibus suis adiacenciis,, Volens et prohibens, nequis heredum meorum seu quibus alter de redditibus et obuencionibus predictæ curie, se aliquo modo intromittat,, Donec debita mea, et in testamento meo legata, plenarie fuerint persoluta,, Vt autem premissa omnia, eo promptius et celerius ad finem debitum deducantur, exequutores huius testamenti mei, constituo, reuerendum patrem dominum karolum episcopum lyncopensem, et nobiles milites, Dominos kanutum ioonsson illustris regis swechie dapiferum, et dilectum fratrem meum karolum niclæsson,, Quorum eciam sigilla vna cum sigillo meo proprio, peto presentibus hiis appendi,, Datum anno et die supradictis.

På frånsidan: Fulbodhum et stæfløsa. commutate sunt pro bonis in ydre.

Sigillen: N. 1. Bo Nilssons (natt och dag), N. 2. Biskop Carls, N. 3. Knut Jonssons, N. 4. Carl Nilssons (natt och dag), obetydligt skadade.